







A&n!  
SERENISSIMVM PRINCEM AC  
DOMINVM,  
DOMINVM 36 37  
CHRISTIANVM  
GVILIELMVM,  
PRINCEM SCHVVARZVVRGI,  
E SACR. ROM. IMPERII QVATVOR-VIRIS,  
COMITEM HOHNSTEINI cet. cet.  
PATRIAE PATREM LONGE CLEMENTISSIMVM  
ET SCHOLAE NOSTRAE

Nutricium Munificentissimum:  
SERENISSIMOS item IVVENTVTIS PRINCEPS;

DOM. GVNTHERVVM,  
DOM. HENRICVM,  
DOM. AVGVSTVM,  
DOM. RVDOLPHVM,

Paternarum Virtutum felicissime Aemulos:

MAXIME SPECTABILES DOM. INSPECTORES,

Et reliquos Musarum Patronos et Cultores  
Ad Examen proximo triduo habendum  
humillime ac decenter

inuitat  
M. IO. CASP. Schaffer/ Schol. Sond. Rector.

---

SÖNDRSHVSAE,  
Typis LVDVIGI HENRICI SCHÖNERMARKI, Typogr. Aulici.

ANNO 1781  
SACR. PAL. AUSTRIAC. BIBLIOTHECAE

CHRISTOPH WOLFF

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS







Ant. Sabellicum, illustre inter eruditos sæculi post decimum quinti in Italia nomen, etiam ideo notari videas, quod Danos & Dacos, tanto fere difunctos spatio, quanto Pontus Euxinus a mari Germanico abest, ingenti errore Geographico confuderit. Fecit hoc scriptor anonymus in eo libro, quem *Oratorem ludicrum* (Eust. Riedner) inscripsit, cuius edit. auctior. p. 693, ei obiicit; Er wolle die Alanos von den Alemannis her deriviren / die Hungern von den Hunnen. Er sage; daß die Gothen und Geten Scytier wären. Er vermene die Dänen und Dacier / und setze den Berg Ottilia in Beyerñ / der doch bey Sträßburg liege. Haud paulo durius eum excepit vir longe doctissimus, qui Tomum IV. Observationum selectarum, Halæ initio huius sæculi edi cœptarum, Observatione decima quinta au-  
xit. Hoc vero, in sit §. XVI. vt miremur necessarium pene est; *Marcum Antonium Sabellicum* renascentibus literis Danos cum Dacis miscuisse, qui tamen de seu Venetiarum, de vetustate Aquileje, de Vicentia ortu commentari multa ausus est, quine excusari nullo modo poterit, nisi imperite dixeris, hæc eum scripsisse, cum iam morti proculis lue venera laboraret. Nam, quod Jan. Jac. Boisfardus Icon. virorum illustrium P. I. p. 191. refert, senex in amorem scorti illectus, tandiu turpi veneri, cui assuetus erat a iuventute, operam dedit, donec morbo Gallico letaliter afflictus, magno suo, omniumque dolore extinctus est, anno ætatis fere septuagesimo: Christi vero 1507. Vnde de eo quidam scriptum reliquit:

*In venere incerta tamen hic contabuit, atque  
Malui: Italicus Gallica fata pari.*

Locum, vbi grauiter adeo lapsus fuerit Sabellicus, neuter indicauit; dubium tamen non est, quin illuc digitum intenderint, quando Rhapsod. Hictor. Ennead. X. Libr. VII. f. 197. scripsit: *Terminatur Saxonia ab occasu Visera fluvio, ad aquilonem DACOS habet & mare Baltheum.* Sed veniam dari mihi peto, quod nullum hic errorem deprehendere potuerim. Sæculi namque



que sui morem secutus est, quo Daniam *DACIAM* vocari admodum fuit  
solenne. Quod cum a nemine adhuc, obseruatum reperiam, Lecto-  
ri harum rerum curioso non ingratum erit, si idoneis scriptorum testi-  
moniiis illud comprobem. Et ipse quidem Sabellicus, vt ita statuamus,  
inducere nos poterat. Ita enim alibi filium moderatur, vt liquido appa-  
reat, eum non ignorasse, veterum *Daciam* iis fere terminis circumscri-  
ptam fuisse, quibus hodie Valachia includitur. Haud dubius enim asse-  
rit, circa Istrum ad septentrionem gentem Dacorum Pontum accoluisse;  
Ennead. V. Lib. VIII. f. 70. Sedes inter Istri fluuenta habuisse; Ennead.  
VII. Lib. I. f. 163. Traianum, ponte in Istro perfecto, exercitum in Daci-  
am duxisse; Ennead. VII. Lib. IV. f. 187. Cumque Danie quoque situm,  
quam vna cum mari Balthico latus Saxonie septentrionale claudere di-  
cit, ita definiat, vt ignorantie aut admissi erroris accusari nequeat; ni-  
hilo tamen fecius *Daciam* appellet; hinc sane efficitur, tum temporis eam  
hoc nomine fuisse notam. Neque enim vero est simile, virum, cuius ea  
rerum Geographicarum peritia fuit, vt de situ Venetiarum, de vetustate  
Aquileie, de Vicentie ortu, addo etiam, de origine Vtini commentari  
multa, & vrbis Venetie Genethiacum scribere potuerit, sui adeo fuisse  
oblitum, vt regiones maxime diuersas, quarum alteram ad Istri fluuenta  
collocauerat, alteram ad mare Balthicum reiecerat ipse, eodem licet no-  
mine vocatas, pro vna eademque haberet. Verum, non est, quod locis  
conferendis immorer. Diferta ipsius habemus verba, quibus id confirma-  
ri possit. Enneadis enim VIII. Lib. IX. fol. 62. occasionem amicitie in-  
ter Carolum Francie & Gottfridum Danie reges contracte, indicaturus,  
ita tradit: *Fama credo belli huius [a Carolo M. in Saxones suscepti] impul-  
sus Gotbifredus rex DAVORUM, [DAVI idem sunt & DACI, Germanici nunc occi-  
ani accole, trans Istrum olim sedes habuere; Sed vnus elementi inuersione inola-  
re id mendum, vt credere equum est; qui autem hominum sint Dasi, suo loco expli-  
cabitur] ingenti classe Saxonie littoribus appulit, pacemque cum Carolo & amici-  
tiam iunxit. Quae licet forte haud per omnia veritati consentiant; abun-  
de tamen testantur, DACORVM nomen adeo adhaesisse Danis, vt vix ali-  
qui fuerint, quibus diuersa scribendi ratio placeret, mendii obpauitatem  
suspecti. Sed ne cui ipse Sabellicus suspectus videatur, testem locu-  
pletissimum, Eneam Picolomineum, Cardinalem ei iungo, cuius verba,  
idem testantia, Commentario de his, quae Friderico III. imperante in Ger-  
mania*



mania & per totam Europam memorabiliter gesta sunt, cap. XXV. adeo lu-  
 culente fluunt, vt mirum videri debeat, ficui non omne dubium exime-  
 re possint. *Tria sunt, inquit, in septentrionem vergentia regna, sibi inuicem cohae-  
 rentia; Danorum, quod hodie DACIAM appellant, Suetiorum ac Noruegiorum, Da-  
 nia, sive DACIAM dicere volumus, CONSuetUDINI seruientes, Germania portio est,  
 Cbersonesi habens formam.* Quam consuetudinem deinde constanter serua-  
 uit, cum paucis interiectis pergit: *DACIAM Teutones hodie Danorum appel-  
 land Marebiam.* -- In hac terra patrum nostrorum memoria Voldimarus regnavit,  
 in Suetia Magnus, Aquinus in Noruegia, -- Huic coniux Margarita fuit, Voldimari  
 filia, ex qua natus Olaus, patri succedens breui tempore vita functus, regnum matri  
 reliquit. Ea & paternum adeptæ est, extincto Voldimaro, & Magno in Suetia homi-  
 nem exuente Albertus Dux Monipolensis -- diadema suscepit. *Qui bello DACIAM Nor-  
 uegiamque laceßere cepit. Occurrit ei Margarita, -- pugnatum est, tanquam ipsa viri,  
 hostis femine animum induisset.* -- *Vicius Albertus regnum amisit.* -- *Margarita -- senio  
 confecta -- Henricum Pomerania Ducem sibi filium adoptauit. -- Is -- ex regio solio  
 deturbatus est, & Christophorus Dux Boioaria sibi ex sorore nepos in eius locum  
 successit.* -- *Christophoro autem ex hoc seculo abeunte, DACIÆ ac Noruegia coro-  
 nam Christiæ genuit accepit.* Eiusdem æui ac gentis fuit Matthias Palmerius  
 Pifanus, Chronico, quo Matthæi Palmerii Florentini librum de temporibus  
 anno vndequinquagesimo post mille & quadringentos deficientem,  
 ad annum eius sæculi octogesimum primum protulit, notus. Verum ne-  
 que iste a DACIÆ appellatione abstinuit, ad ann. 1474. notans: *Christiernus  
 rex DACIÆ, Gotia, Noruegia, Romam soluendi voti gratia ad Pontificem veniens,  
 celebri honore excipitur.* Cum his facere etiam videtur Alexander Gua-  
 gninus, tam grauis historicus quam strenuus bellator, dum Descriptio-  
 nis Sarmatiæ Europææ f. 2. b. *Dacos inter Cimbros, Gotos, Suetuos &  
 Sacas medios collocat. Neque vero, ait, soli Saurotate, sed & alia quadam  
 genes, ipsis conterminæ, sedibus patriis relictis in alias terras cultiores migrantes &  
 transferunt.* Iner hos Cimmerici sive Cymbri, Gota, DACI, Sueti sive Tuiscones &  
 Saca, qui nunc Saxones dicuntur. Quamvis non diffitear, dubiam esse ho-  
 rum verborum interpretationem. At non dubius est Jo. Franciscus Lau-  
 redanus, elegantissimus, vtut non vbique æquus satis vitæ Alexandri III.  
 Pontificis Maximi, scriptor, nunc ciuitate Germanica donatæ, cuius p.  
 42. Bohemiæ & DACIÆ reges Imperatori Friderico I. in expeditione con-  
 tra Mediolanenses suscepta, traduntur auxilio fuisse, *Vbi, ne alium,*  
 quam



quam Dania per *Dacia* regem intelligas, facit, quod quæ vulgo *Dacia*  
 nomine regio venit, propriis regibus tum destituta, & Dania reges mul-  
 torum fide, in clientela Imperatorum fuerunt. Sufficere hæc poterant,  
 nisi etiam a Germanis nostris aliquot testimonia petenda essent, inter  
 quos merito primo loco nominandus Johannes Nauclerus, Prapostus  
 Tubingensis, vir Jo. Reuchlini encomio, litteris & fide præstans. Re-  
 liquit is nobis Chronica, res, vt inscriptio habet, omnium sæculorum ac  
 gentium memorabiles ab initio mundi usque ad annum Christi 1500.  
 succinctim comprehendentia, in quibus tantum non vbique pro Dania  
*Dacia* vocem vsurpat, vel saltem vtrasque coniungit. Ex multis locis  
 terna tantum adduxisse sufficiat. Primus sit, qui Generat. XXIX. f. m,  
 646. his verbis legitur: *Cimbricam Cbersonesum, quam olim Cimmerici tenuere,*  
*quos Latini Cimbros vocant, nunquam fere vna gens coluit, quo factum puto, vt*  
*& appellatio prisca interiret. Hodie ei regioni DACIÆ nomen est, sive Dania, sunt*  
*enim, qui ita malint.* Alter, quem vel ideo, quod isti Sabellici similis pro-  
 fusus est, omitti par non erat, Generat. XXXI. f. 660. ita habet: *Saxonibus*  
*ab occidente Visera fluius terminum facit, - a septentrione Dani seu DACI, hi qui*  
*Cimbricam Cbersonesum habent.* Tertius, quo Christiani I. professio reli-  
 giosa, de qua paullo ante ex Palmerio mentionem feci, indicatur Gene-  
 rat. L. f. 973. exstat: *Eodem anno, [1474] Christodorus, inlycus rex DACIÆ, Nor-*  
*uegia & Suecia, vir Christianissimus, Romam soluendi voti gratia peruenit, in itinere*  
*ab omnibus potentatibus honorificentissime exceptus. In margine est: Christodorus rex*  
*DACIÆ, Naucleri vestigiis insitit is, qui Chronographiam ejus appendice se-*  
*cunda plenior fecit, de Christiano II. regno pulso Generat. LI. f. 1021. scri-*  
*bens: Eodem anno [1522.] profugus e regno suo Christiernus DACIÆ rex cum uxore sua*  
*Isabella, Casaris sorore, Mechliniam venit, que deinde baud multos post annos, dolore ani-*  
*mi moriens, Gandasi in templo diui Petri sepelitur.* Secutus quoque illum est  
 Sebastianus Munsterus, inter Geographos suæ ætatis facile princeps,  
 Compendio Geographicae Descriptionis, Claudii Ptolemæi Geographiæ  
 subnexo, cujus p. 174. sub Tit. *DANIA* sequentia reperimus: *DACIA seu*  
*Dania olim vocata fuit Cimbrica Cbersonesus & Julia, fuitque tunc sub dirione Saxo-*  
*num.* Quid quod Matthæus Dresserus, qui tamen a temporibus no-  
 stris propius abest, eam loquendi consuetudinem observavit: Anno 1012.  
*Sueno Danorum sive DACORVM rex Edclredum vel Edelardum Britannorum re-*  
*gem*



gem acie vicit, & regnum eorum ad annos inquit 30. obinuit, Ifagoges Histori-  
cæ Millenar. Sext. pag. 660. Quibus autem inducti rationibus *Daciam*, quam  
Daniam viri illi docti dicere & scribere maluerint, ipsi non disfirmarunt;  
Scilicet, quemadmodum Cimbro a Cimмериis, Saxones a Sacis, Misnicos  
a Mysis, Thuringos a Tyrigetis originem ducere autumarunt; sic Da-  
nos quoque *Dacorum* coloniam crediderunt qui pristinis sedibus relictis  
in partes septemtrionibus subiectas commigraverint. Sic Sabellico per-  
suasum fuisse, ex loco superius adducto constat. Sic Nauclerum statu-  
isse ipse his verbis prodidit: *Nomen esse illi (Daciæ) arbitror a DACIS, qui  
Valachia devicta, alias sedes quæsivere, vocabatur enim Valachia Dacia, ut apud  
vetustos scriptores invenies. Itaque opera pretium est scire, quod, qui modo DANI  
inde in historiis varia lectio est. Et in eadem quoque opinione Alexander  
Guagninus fuit, Descriptionis Sarmatiæ Europææ f. 3. b. affirmans;  
Moldavos, Valachiosque & ceteras Ruthenorum gentes a Ponto Euxino  
ad mare usque Germanicum colonias suas habere. Quam vere, jam non  
disquiro. Hoc certum est, quam plurimos gravissimos Auctores cum ip-  
sis sentire. Unde etiam Nauclerus tanquam ad communem opinionem  
provocare non veretur, Chronographiæ Generat. XIII. f. 492. scribens:  
*Dacorum etiam populus certam ejusdem regionis partem olim inhabitasse, tandem  
non sine turbatione secessisse, ac relicta pingui Pannonia tellure maritima loca Nor-  
wegia proxima occupasse ac sedem fecisse perhibetur. Illorumque opinioni inde  
quoque robur aliquod accedere videtur, quod in Valachia etiam Dapo-  
rum monumentum tum temporis superferit. Cujus rei testem appello  
laudatum ante Cardinalem Picolomineum Comment. de statu Europæ  
sub Friderico III. Cap. II. ita differentem: Inter Valachos tempestate nostra  
duæ factiones fuerunt; altera DANORUM altera Dragularum. Sed hi cum DANIS  
impares essent, atque ab illis multifariam opprimerentur, Turcos in auxilium vo-  
caverunt, quorum armis adjuti DANOS pene ad internecionem deleverunt, DANIS  
vero Johannes Hunniades Hungarorum imperio fretus opem ferens, non tam illos  
restituit, quam sibi ipsi claritatem & opes acquisivit, quippe qui DANORUM agros  
ex potestate Turcorum ereptos, & sibi & posteris perpetua possessione retinendos oc-  
cupavit. Quamvis si rem recte æstimemus, forte etiam hic pronuciari  
debeat, quod de Thracibus Marcellinus dixit; facilem futuram de-  
scriptionem, si veteres concinerent stili, quorum obscura varietas*  
opus*



opus veritatem professum non iuuat. Istud tamen ex hactenus dictis  
apparebit, Daniam *Daciam* vocari renascentibus, quin & renatis litteris,  
non fuisse inuistratum. Atque hæc, cum iussu maxime Venerabilium  
Dominorum Scholæ Inspectorum examen in proximum triduum indi-  
cendum esset, ideo ex Historia Geographica præfari volui, quod non tan-  
tum *Jo. Georg. Kube, Greuffing*, Scholæ nostræ, cuius adhuc non degener  
alumnus fuit, vitimum vale dicturus, eo ad finem properante in laudem  
*Germaniæ*, dulcissimæ patriæ, ex Geographia declamabit, verum & iam in  
eo sumus, vt in gratiam eorum, qui nonnullo huius studio tenentur,  
globum, quem vocant terrestrem, & si per sumtus licebit, cœlestem eti-  
am comparemus, omnium vsui destinandos. Quod quam vtile institutum  
sit, vt pluribus demonstretur non est opus. Si enim cognitione rerum in  
orbe gestarum nemo eruditus carere possit; nihil autem gestum sit vn-  
quam, quin certo in loco ac tempore contigerit: quis non videt, Geo-  
graphiam alterum quasi Historiæ oculum esse, quo hæc destituta prope-  
modum cæca, certe in caligine posita sit? Quodsi porro Geographia non  
nisi ex mappis, eo consilio constructis, hauriri possit; hæc vero ad globum,  
quibus vniuersus terrarum & oceani ambitus describitur, se referant: hic  
eque vltterius ad cœli machinam, cuius compages in illo globorum altero  
exhibetur, compositus sit: sane nihil solidi in Geographicis præstabit,  
vtriusque spheræ scientia defectus. Proinde vniuersos ac singulos Mu-  
sarum nostrarum Patronos ea, qua par est, humanitate rogamus, vt tam  
honestum propositum, ad studiosæ iuuentutis commodum pertinens

re & opere iuuare velint. P. P. *SONDERSHVSÆ DO-*  
*MINICA MISERICORDIAS DOMINI*, anno  
instauratæ salutis *CIÖCCXIII*,





Ji 2149

ULB Halle

3

002 410 087



sb.

VONA









A&N!  
SERENISSIMVM PRINCEM AC  
DOMINVM,  
DOMINVM  
36 311  
CHRISTIANVM  
GVILIELMVM,

PRINCEM SCHVVARZBURGI,  
E SACR. ROM. IMPERII QVATVOR-VIRIS,  
COMITEM HOHNSTEINI cet. cet.  
*PATRIAE PATREM LONGE CLEMENTISSIMVM  
ET SCHOLAE NOSTRAE*

Nutricium Munificentissimum:  
SERENISSIMOS item IVVENTVTIS PRINCEPES;

DOM. GVNTHERVM,  
DOM. HENRICVM,  
DOM. AVGVSTVM,  
DOM. RVDOLPHVM,

Paternarum Virtutum felicissime Aemulos:  
MAXIME SPECTABILES DOM. INSPECTORES,  
Et reliquos Mufarum Patronos et Cultores  
Ad Examen proximo triduo habendum  
humillime ac decenter

inuitat  
M. IO. CASP. Schäffer/ Schol. Sond. Rector.

---

SONDERSHVSÆ,  
Typis LVDOVICI HENRICI SCHÖNERMARKI, Typogr. Aulici.